



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

VIII. De mortuo mundo, cujus vita est in Christo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

Sit tibi laus & gloria, qui es
vita viventium, spes morientium,
salus & requies omnium ad te
pervenientium.

CAP. VIII. *De mortuo mundo,
cujus vita est in Christo.*

Averte oculos meos, ne vi- *Psal. 118.*
deant vanitatem.

O Jesu vita vera, vita mori
nescia, tribue mihi ex amore con-
teri, ex amore vulnerari, ex amo-
re mori, ne caro possit mihi do-
minari.

Nondum perfecte mortuus
sum mundo, sed vivit adhuc in
me vetus homo; suscitans in me
varias rixas, & desideria multo-
rum malorum: faciens noctes a-
maras, & dies tædiosos.

O quando fiet, ut cum fiducia
dicam: *Ego autem estimabam* *Quid*
me, tanquam mortuum super *mori*
terram? Qui enim mortuus est, *mundo.*
non curat laudes hominum, nec
vituperia exprobrantium, quia
mortuus est.

Qui carne mortuus est, non
loquitur, non odorat, non gu-
stat.

stat, nec exercet quicquam operis : sed nec vanitatem hujus mundi audit , non etiam videt curiosa & pulchra , & quæcunque allicere possunt ad amandum aliquid vile super terram.

Coloss. 3.

2. Cor. 4.

Sed qui mortuus est mundo, non est in mundo, sed in Deo, cui vivit : sicut & dilectis discipulis Paulus dicit: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ille sic loquitur, sic cogitat, sic videt ea quæ foris sunt, quasi non sint : quia quod videtur, temporale est & vanum; quod non videtur, æternum est & verum.

Mortui mundo proprietates & affectiones.

Illuc igitur spectat, illic flagrat hoc ei in corde est; ad hoc laborat, ad hoc pervenire desiderat.

Hoc vult, hoc amat, hoc querit, hoc sapit , quod intus est & latet; magnum videlicet bonum, summum, æternum bonum, de quo cogitare nunquam illi satis est; quia nimis charum est, & dulce, & delectabile , & plusquam ineffabile.

Qui talis est, multum elongatus est à præsentibus, & totis affe-

fe-

festibus inhiat æternis, habens sub se appetitum sensualitatis.

Nam sensualitas quærit exteriora, cupit delectabilia, aspicit præsentia, negligit futura; fugit ubicunque potest amara & aspera, quæ tamen spiritui sæpe sunt salubria.

Sensualitas quærit sua-
via; fugit
amara.

Unde non finit spiritum in silentio & quiete agere; sed diversa ei adducit phantasmata, quæ vix sunt dicenda, pro nihilo tamen in veritate curanda.

Qui autem habet gratiam spiritualis fortitudinis, potest citius subjugare insolentes carnis motus, pfallens in verbo divinæ virtutis; *Dominus mihi adiutor; nō timebo quid faciat mihi caro.*

Psal. 117

2. Quamvis igitur isti sensualitas bellum incitet, & vox carnis submurmuret: non tamen ei facile consentit, quia major est vis amoris Dei, quæ interiorius confortat.

Amor Dei
ei renititur.

Iste quandoque tam dulciter, tam fortiter, & ardentè ad Deū trahitur, rapitur, & tenetur; ut non videat aut vix sentiat, quæ juxta se sunt, & strepunt in mundo;

Vis & efficacia
divini
amoris.

do; quia non est ibi sed alibi: non infra sed supra cum Deo & in Deo: qui ipsum introrsus movet, erigit, & quasi in curru igneo transvehit; ut fruatur aliquando eo, in felici & diu concupito cordis sui desiderio sancto.

Non invenitur foris, quia transtulit illum amator suus. Ibi solus audit verba ejus, verba Dilecti: & gaudio gaudet propter vocem Sponsi, in nullo sibi suspecti.

Nec statim effundit in solem phialam suam, ad hauriendam vanitatem: sed inventum thesaurum abscondit, & claudit sub signaculo: ne pes superbiæ intret, & virtus omnis depereat.

Cant. 1.

Sic namque dicit ei: *Poneme sicut signaculum super cor tuum* & quæ ibi sequuntur.

Utile est signare cor, & custodire illud; ne fortè Dilectus declinet & fugiat, qui cor purum & humile specialiter quærit & visitat.

Anima à
Deo ama-
ta quo
modo

3. Confert ista secum, & miratur tantum bonum, quod omnem sensum superat & donum.

Mi-

Miratur iterum, & interrogat diligenter; quidnam est hoc? Et lætatur vehementer, quia manna de cœlo descendit.

Qui autem ministrat panem de cœlo verum, dat etiam gustanti intellectum bonum; ut sciat quòd *omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.* Hoc jam, inquit, à Deo verbum est. Nihil sine eo, omnia mihi ex ipso sunt.

3. Rursus miratur & conqueritur, quare tantum bonum tam modice curat; cum quo tamen non modice ei bene est: quare quoque non sæpius ad audiendum & videndum illud, cor suum inclinat, quo dulcius ac feliciter ad fruendum nihil esse potest.

Et modo utinam de cætero id fiat. Hoc enim summe me delectat, & amplius delectabit; si tamen operam ad vacandum dederero.

Veniat Dilectus meus in cor meum, ut comedam de fructu pomorum suorum. Declinet ad me,

provehatur ad desiderium, & fruitionem Dilecti, seu summæ boni.

Iacob, i.

Dolet id sibi non magis esse curæ.

me, & ostendat seipsum mihi, & ego me illi. Ipse bonum meum, & gaudium meum.

Tunc incipit anhelare, & desiderare, ac vehementer amare hoc bonum, in quo est omne bonum; hoc gaudium, in quo est omne gaudium: hoc unum, in quo omnia, parvum & magnum; summum & imum; non tamen aliquid ipforum conditorum, sed sine forma conceptuum humanorum, principium & finis omnium bonorum ab eo formatorum.

Unde quandoque vult ex toto illo bono repleti, ac gaudio suavissimo perfundi, & quodammodo ab ipso cupit ad fundum absorberi & consumi, ut satisfaciat infatiabili suo amori, ita ut nihil sui ipsius sit, sed ejus totus, cujus est ignis, & æstus amoris, cujus est hoc mirabile opus, ut sic in eum avidius rapiatur, & unus cum eo spiritus efficiatur.

Non extollit se de prerogativa dilectionis.

4. Nec propter hoc se extollit aut aliquid esse putat, aut ceteros despicit, vel minores judicat, quia non est hoc suum, sed munus

nus

mus Dei gratuitum : ut meritò non debeat se inde extollere, cum se senserit taliter ab eo consolari.

Non enim quærit laudes neque favores curat externos, sed Dilectum quærit, cujus laudem & favorem solummodo fitit, in quo omnia habet, & plusquam hæc omnia invenit.

Quia amorem ejus, dulcedinem ejus, & gaudiosam fructificationem ejus, omnibus transitoriis præfert, & super omnia honoré ejus concupiscit & diligit.

Ideoque de nullo bono se efferre, nec vane gloriari potest. Ipse gloria ejus, laus & exultatio ejus, Ipse verum & sincerum gaudium, summum & unicum bonum, totum desiderium & complementum ejus.

Magis autem vult, & alios secum ita lætari, & tali frui bono sine fine nunc & in cœlo.

Hoc enim desiderat & orat, ut omnibus hominibus notum se faciat, & omnes ad se convertat, & trahat; ut ipse solus laudetur & glorificetur, quia Dilectus ejus

Solum
gloriatur
& quiescit
in
Dilecto.

Quem
soli &
laudari
ab omnibus
operatur.

cha.

charitas est & amoris puteus, qui non potest exhauriri.

Plus enim omnes amat, quam ab omnibus possit amari.

Placet tamen ei, si quis eum ex fundo amare appetat, licet ad fundum pervenire non valeat, quia ipse omnes in amore devorat, vincit & superat.

ORATIO

*Homini
à terre-
no amo-
re ad di-
vinum
aspiran-
tis.*

** Psal. 54*

*Deseren-
de crea-
turæ, ut
conjun-
gamur
Creatori.*

Rom. 7.

CAP. IX. De elongatione à creaturis.

Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

○ quàm salubre, quàm jucundum & suave est, sedere in solitudine, & tacere, & loqui cum Deo, ac frui solo summo bono in quo sunt omnia bona!

Utinam sic essem conjunctus illi simplicissimo & unico bono, ut nullis moverer affectionibus & distractionibus rerum transcurrentium; nulli creaturæ, nulli creature rei visibili, oculos videndo advertendo, curiole præberem.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Heu, quàm sapè moritur anima mea!